DE TARTARI EMETICI IN PECTORIS INFLAMMATIONIBUS USU.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXIV

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Carolus Burghardt

CAROLUS BURCHARDT

ERFORDIENSIS

OPPONENTIBUS:

W. L. DOERING, MED. DR.
G. H. RAMPELMANN, MED. DR.
F. L. BANNING, MED. DR.

BEROLINI

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,

EXPERIENTISSIMO,

AEMILIO OSANN,

MEDICINAE DOCTORI, PROESSORI ORDINARIO IN ACADEMIA MEDICO - CHIRURGICA MILITARI, ET IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI, COMPLURIUMQUE SOCIETAT. LITERARIARUM SODALI,

PRAECEPTORI SUMME VENERANDO

TENUE HOCCE IUVENILE OPUSCULUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Praefamen.

Quemadmodum perperam agunt alii, qui plurimis medicaminibus vires inesse certas et specificas autument, ita alii eo peccant, quod omnia quae recentioribus deteguntur et collaudantur, remedia vilia, eorumque efficaciam imaginariam potius, quam veram arbitrentur. Sane vero nescio, quod impediat, quominus his illisve medicamentis peculiarem largiamur efficaciam, licet priscis medicinae cultoribus nondum cognitam; non omnia enim omnibus, ac eodem tempore innotescunt, sed, ut Senecae verbis utar, multa, quae nunc latent, in lucem extrahet dies et longioris aevi experientia. Minime autem temere fidendum eorum effatis, qui, forte casu quodam edocti, indubitatam alicuius remedii virtutem celebrent, sed experimentis antea tentandum, num stabili firmaeque basi illa vis innitatur. Haecce, Lector Benevole, ad illud argumentum referas velim, quod dissertatione

inaugurali illustrare studui. Probe scio, multos nostri aevi existere medicos, qui tartari emetici usum, aliis antiphlogisticis substitutum, aut saltem aequiparatum, vel dubitent, vel infitientur, semperque, omissis aliis remediis, ambiguum esse opinentur.

Hanc ob causam varias observationes, priusquam hac de re sententiam proferrem, conquirere studui, quibus adiutus, materiam ita dilucidavi, uti pro viribus temporisque angustiis licuit. Me vera tantum ac probata in medium proferre voluisse, sane confiteor, num operae pretium fecerim Lectorum est dirimere.

Introductio.

Plurimos nostratum id operam dare videmus ut nova quaedam medicamina proferant, eorumque virtutes summis laudibus efferant, quae si accuratius intuemur, partim omnino supervacua inveniuntur, partim experimentis circa ipsa institutis parum satisfaciunt.

Pauca tantum extant quae laudibus illis sint digna, quibusque verum medicinae incrementum accesserit. His potissimum tartari emetici usus internus adiudicandus est, cuius maiores portiones ad pectoris affectiones inflammatorias debellandas Peschier recentiori aevo commendavit.

Quum observationes hanc circa methodum institutae non modo varia perhibuerint eventa, verum etiam medicorum iudicia huc illuc deflexerint, vix non operae pretium facere mihi videor si varias auctorum sententias et eventus experientiae testimoniis comprobatos colligam atque inter se conferam.

§. 1.

Peschieri methodus 1) tartaro emetico adversus pectoris affectiones inflammatorias utendi haec fere est: grana tartari emetici sex-duodecim-quindecim in aquae destillatae unciis sex solvantur, eamque solutionem aegrotus intra nychtemerum hauriat, ut binis horis cochlear maius sumatur, praetereaque Ptisana laxativa bibatur. Quodsi maior sudandi opportunitas sit Peschierus drachm. II. Spiritus nitrico-aut muriatico-aetherei, aut Aetheris acetici adiici iubet; sin anxietas multa et agrypnia, per intervalla Tincturae Opii pauxillum porrigi, si denique Ischuria cutisque arida, Nitri drachm. I.-II. adiungi curat. Utplurimum tartari emetici dosin tribus granis quotidie adauxit, donec aeger grana XII vel XV caperet, eamque por-

1) Bibliothèque universelle. Geneve, Iuin. 1822.

tionem numquam se excessisse tradit, quippequae nunquam non sufficeret.

Hacce methodo omnibus in exemplis utebatur, in quibus pectus ictibus perstringebatur, sive atrociores seu leviores essent, sive vagi seu fixi, sive febre carerent, sive ipsa febris aut alia symptomata, uti dyspnoea ingens, tussis vehemens, sputa copiosa, livida, cruenta, sive gastricae affectiones simul extarent.

Intra quinquennium omnes aegrotos et haud paucos quidem pleuritide et pneumonia laborantes hac sola methodo a se curatos prosperrimaeque valetudini redditos esse asseverat, quum alii medici vulgarem methodum secuti aegrotorum plurimos praecipitarent. Sanguinis detractiones nec universales nec locales unquam imperavit, rarissimeque vesicatorium applicuit.

Plerisque in exemplis morbus hoc modo curatus intra dies octo terminabatur, raro secundam, rarissime tertiam excessit hebdomadam.

Effectus huiusce remedii sequentes observavit: cochlearibus duobus tribusve solutionis descriptae ingestis aeger vomitu postea alvo cita infestabatur: interdum nulli quidem effectus manifesti prodierunt, sed nihilosecius saluberrimus remedii usus extitit.

§. 2.

Tam laudes, quibus ista methodus exornabatur, quam prosperrimus eventus, qui ei adscribebatur, nec non simplicissima ipsius methodi ratio, multos Germaniae et Franco-Galliae medicos impulerunt ut experimentis eamque sciscitarentur, quae saepius prosperrime cessisse traduntur. — Vir illustrissimus Wolff, Varsoviensis 1), multis in exemplis summa cum felicitate remedium hocce expertus est: neque minus Dr. Wesener 2) efficaciam eius eximiam certamque praedicat: Arnaud, Laennec 3) et Vaidy 4), nec non Balfour et Jeffreys 5) eandem tuentur methodum: Pinel 6) vero duoque anonymi 7) temere eam vituperant.

Verumtamen methodus, tartarum emeticum versus pectoris inflammationes administrandi, vix et nevix nova. Ipse Peschier, postquam multa cum felicitate hanc methodum adhibuerit, in annalibus clinicis Montispeliensibus (Tom. XLII. P,

---

1) Hufeland's Journ. der prakt. Heilkunde. März 1823.
2) Hufeland's Journal der prakt. Heilkunde. May 1824.
3) London medical repository. Decbr. 1822. P. 536.
4) Journal complementaire du dictionnaire des sciences medicales. May 1823. P. 203.
5) Harles Rheinische Jahrbücher. Supplementband S 152
6) Nouveau Journal de Medicine Sptbr. 1822. P. 78.
7) Journal general de Medicine Novbr. 1822. P. 78.
Journal complementaire du dictionnaire d. se. med. May 1823 P. 205.

171) mentionem eius se invenisse confitetur. Quum vero annales illi merum tartarum emeticum aqua solutum adhibendum censeant, Peschier id mutationis instituit, ut tartaro emetico alia quoque medicamina adiungerit.

Similia quoque exempla facile contestantur iam ab antiquioribus et recentioribus artis salutaris professoribus, vel maiores vel minores huius remedii doses, aut solas aut aliis coniunctas medicaminibus, contra febres et nominatim affectiones inflammatorias pectoris viscerum in usum esse vocatas. — E Germanorum antiquioribus huc referendi sunt Brendel, 1) Schröder, Richter, 2) Hirschel, 3) Stoll, 4) Gmelin, 5) E Brittannis: Huxham, 6) qui contra pleuritidem et peripneumoniam vino Antimonii maximo cum fructu utebatur, eique prae omnibus Antimonii

1) J. Gothofredi Brendelii opuscula medici argumenti. Götting. 1769 — 75.

2) A. G. Richter specielle Therapie. 1r Theil. S. 421-24.

3) L. E. Hirschel, v. d. vorzügl. Nutzen und Gebrauche des Brechweinsteins. Berlin 1773. P. 134-

4) Max. Stollii, ratio medendi. Viennae 1780. Tom. 3. p. 36.

5) Apparatus medicaminum auctore Jo. Fr. Gmelin. pars 2. Regnum. minerale. Götting 1795. P. 209.

6) Sammlung med. Schriften v. John Huxham 1769. P. 261; et:
Huxhamii opera, edidit Reichel.

prãeparatis principatum largiebatur, doses ita instituit, ut nausea tantum, minime vomitus, nasceretur.

Porro Pringle, 1) Cullen: 2) quorum hic in primo et secundo Pneumoniae stadio praemissa Venaesectione eas tartari stibiati doses commendavit, ut nausea citra vomitum induceretur. Withers 3) etiam exiguas tartari emetici portiones cuilibet pneumoniae stadio nec non haemoptysi summopere idoneas commendavit.

Gregory 4) in pneumonia antimonii praeparata, praesertim tartarum stibiatum, saluberrimis interponit remediis, ad criticas evacuationes, inprimis sputa critica promovenda: item tartari stibiati dosibus refractis nauseam tantum facientibus ad curandam haemoptysin utitur.

Ceteroquin auctores iam recensendi luculentis evincunt testimoniis tartarum emeticum adversus morbos pectoris inflammatorios antiquitus esse adhibitum et saluberrimum praestitisse usum.

---

1) Observations on the diseases of the army, by John Pringle London 1765. p. 145. 201.

2) Cullen Anfangsgr. d. prakt. Arzneikunst 1r Theil. §. 371.

3) Observat. on the abuse of medicine by Thomas Withers. London 1775. p. 93. 105. 153.

4 John Gregory, elements of practice of physic. Lond. 1774. §. 325. 337.

Joh. Chr. A. Theden, Unterricht für die Feld-Wundärzte.

J. Hardtmann, praes. Wollin, aphorismi de tartaro antimoniali. Lundae 1782. §. 8.

Chrph. Pet. Buch, de tartari emetici praestantia. Erlangae 1777.

J. Chr. Ostermann, de tartaro emetico. Götting. 1777.

Witting, diss. de tartari emetici praeparatione et viribus medicis. Götting. 1788.

Westra, diss. de Antimonio. Groening. 1792.

---

§. 3.

Nulla tamen medicorum extitit secta, quae tot tantasque tartari emetici doses contra affectiones pectoris inflammatorias imperaret, quod Contrastimulistarum, qui vocantur, in Italia vigentium: Rasori, Tommasini, Brera, Fanzago, Borda, Rubini etc. quorum libri evidentissima huius effati testimonia suppeditant. Cum digitali p., aqua Laurocerasi, acido hydrocyanico, Nitro et similibus medicaminibus tartarum emeticum et sine sanguinis detractionibus, si levior esset morbus, et praemissis Venaesectionibus, si gravior esset, optimo cum fructu, si fides iis est habenda adhibuerunt.

Rasori 1) systematis suprememorati auctor, ad profligandam pneumoniam ingentes tartari stibiati portiones, uncias scilicet duas et quod excurrit, intra paucos dies, non intus modo sed simul in enemate, saepe solas, saepe cum paribus Nitri aut Digitalis p. dosibus, vel omissis vel praemissis detractionibus sanguinis copiosis imperavit; neque tamen eventum prosperum semper sortitus est, etenim teste Wagner 1) e tredecim peripneumonia laborantibus septem intra semestre hac agendi ratione trucidavit. Funestissimus hic eventus minus forsan immodicis tartari emetici dosibus quam venaesectionibus simul institutis adscribendus videtur: etenim plerisque in casibus, immo in iis, quibus pneumonia diutius erat protracta, quater, decies, vel quater et decies intra paucas hebdomadas venam incidi iussit, singulisque vicibus duodeviginti sanguinis uncias detrahi curavit. (Scripta Loderi et Wagneri antea citata hac de re prolixius disserunt.)

---

1) Vide: E. von Loder Bemerkung über ärztliche Verfassung und Unterricht in Italien während des Jahrs 1811. Leipzig 1812. S. 447. 523. et:
Voyage medical en Italie, par Valentin. Nancy et Paris 1822. p. 97.

1) W. Wagner. Darstellung und Kritik der Italiänischen Lehre vom Contrastimulus. Berlin 1819. S. 207.

§. 4.

Tantae tartari emetici doses non solum periculosae, verum etiam si vitatur periculum, vanae et supervacuae sint necesse est: etenim si portiones immodicae non semper deleteriam exerunt efficaciam, quam Rasorii methodus saepe experta est, minime tamen maiores illae doses effectum graviorem sed saepe exiliorem produnt, quam modicae: siquidem nimia moles efficaciam attenuat, per oesophagum enim ac tubum intestinalem sola descendit moles, remediique vim internam, moli oppositam, infringit.

Ipsa etiam ratio, qua Rasori medicamentum istud exhibet, effectum eius imminuit, tartarum scilicet emeticum aqua fontana communi solvi, praetereaque aegrotum pro potu ordinario potionem acidam, aut Limonadam vegetabilem, immo limonadam mineralem haurire iubet, quibus tartarus emeticus, ut facile intelligitur, decomponi et efficacia sua privari solet. Denique non constat an tartarus stibiatus medicorum italorum eiusdam virtutis et efficaciae sit, quam quo nos utimur: varias saltem res dubitationes recipit. Alius enim Italus, Ozanam, 1) in libro quodam

---

1) Cenni sulla teoria e la pratica della dottrina medica del contrastimolo: con alcuni osservazioni compara-

contendit, medicamenta in pharmacopolio Xenodochii magni mediolanensis parata, in quo Rasori clinicas dirigit institutiones, minus bona ac certa esse, id quod medicamenta a pharmacopolis celeberrimis praeparata et cum illis comparata luculenter evincant.

§. 5.

Brera et Tommasini praestantissimi Italiae medici, artisque salutaris magistri, non minus crebro tartarum emeticum contra pneumoniam applicaverunt, dosesque magnas sed modestiores quam Rasori indiderunt, eamque ob caussam laetiorem obtinuerunt effectum.

Tommasini 1) de centum et quindecim pneumonia laborantibus, quibus Venaesectiones, magnae tartari stibiati portiones, interdum cum Nitro,

---

tive tra il risultamento del metodo di cura secondo i principi di questo sistema, e quelli del metodo communemente adottato di J. F. A. Ozanam. 2da Edizioue. Milano 1816. p. 64.

2) Giacomo Tommasini, della nuova dottrina medica italiana. Bologna 1816.

Idem, delle peripneumonie inflammatorie e del curarle principalmente col tartaro stibiato. Bologna 1817.

Idem, prospetto dei risultamenti ottenuti nella clinica medica di Bologna nel corso di un triennio scolastico. Pisa 1820. p. 26-27.

aqua Lauro-Cerasi, vel Kermes mineralis, Squilla, imperabantur, nonnisi quatuordecim periisse tradit.

Brera, 2) tartari stibiati usum quam maxime collaudat, tam solius quam alternis vicibus cum digitati p. vel aqua Lauro-Cerasi administrati: venaesectiones raro instituit, at vero tartari stibiati aqua destillata soluti largiores doses, ad drachmam usque per diem, exhibuit.

Vulgatissimus etiam tartari emetici usus contra affectiones pectoris inflammatorias, sed dosibus refractis et aquae solutis (en lavage) Neapoli esse solet: ut plurimum sine sanguinis detractionibus adhibitur, raroque ad digitalem p. et Nitrum refugium capitur. Dr. Gentile, medicus Xenodochio trinitatis praefectus, de quadraginta pneumonitide affectis huic medendi rationi submissis modo unum interiturum esse, confidit.

Hac de re sequentia evolvantur scripta:

Valentin, l. c. p. 30.

Loder, l. m. c. p. 135.

Materia medica chimico - farmaceutica di Giovanni Pozzi. Milano 1816. p. 366.

---

3) V. L. Brera, rapporto de' risultati ottenuti nella clinica medica della regia università di Padova sul corso nell' anno 1809-10. Padova 1810. vide: Loder's Bemerkungen. p. 413.

Lezioni di Materia medica del Dottore Ottaviano Targioni Tozzetti. Firenze 1821. p. 70.

§. 6.

Peschieri methodus medium tenet inter agendi rationem Rasorii eiusque discipulorum, quippequi largissimis tartari emetici portionibus effectus valentissimos gignere student, et antiquiorum medendi viam, qui nonnisi iis utebantur dosibus quibus nausea et vomendi cupiditas citra emesin proferretur.

In Policlinico berolinensi secundum Peschieri methodum quindecim in exemplis tartari emetici aqua destillata soluti granum dimidium ad unum, binis ternisve horis partim sine additamentis, partim aliis medicaminibus adiunctis, contra pectoris inflammationes administrabantur. Plurimi aegrotorum optime hoc medicinae genus sustinuerunt, nonnulli tantum ob vehementiores ventriculi tubique intestinalis affectiones usum eius respuerunt. Omnes convaluerunt, paucique ad recuperandam perfectam valetudinem aliis eguerunt remediis.

§. 7.

Salutaris tartari emetici efficacia ad affectiones pectoris inflammatorias profligandas e communibus eius effectibus facili negotio explicatur: quodsi

enim doses tartari stibiati exiliores, emesin haud cientes saepius iterantur, sequentes produnt effectus:

Fines vasorum et systema capillare peculiarem in modum afficiunt, eorumque actiones rite componunt, quo fit, ut efficacia quaedam cum toto secretionis systemate nervorumque viribus communicetur.

Tartarus emeticus porro constrictiones vasorum tenuissimorum et paginae exhalantis tam internae quam externae, quae unius cuiusque febris et validioris inflammationis comites sunt quibusque earum atrocitas sanguinisque impetus versus cor adaugetur, certissime solvit.

Idem remedium vasorum lymphaticorum actionem augendo resorbtionem evehit, quo fit ut irritamenta localia et stagnationes efficacissime debellentur, discutiantur, materiaeque congestae promtius eliminentur. Nervorum periphericorum vitam intendit, et partim hac ipsa re, partim actionem vasorum ultimorum evehendo, efficit ut vasorum maiorum vis per antagonismum diminuatur.

Iuxta vires hasce communes ratiocinari licet, tartarum emeticum omnes secretiones et excretiones, prae ceteris cutis, tubi intestinalis et renum adaugere, exhalationem tunicarum muciparum, inprimis intimae pulmonum tunicae promovere,

ideoque remediis antifebrilibus et antiphlogisticis efficacissimis interponi debere, quod eo minus dubitandum est, quod systematis irritabilis vigorem haud mediocriter labefaciat, crisinque, omnis curae radicalis basin, mirifice sublevare valeat.

§. 8.

Quae hactenus de tartari emetici viribus proposita sunt ad Peschieri methodum praeprimis referantur, necesse est, quippequae ad contestandam huius remedii salutarem efficaciam maxime idonea videtur: ceteroquin tum antiquioris tum nuperioris aevi testimonia satis evincunt, quantus eius usus circa morbos febriles et inflammatorios, praesertim pectoris extiterit.

Summa huius methodi efficacia ad stadia prima pneumoniae rheumaticae et rheumatico-gastricae referenda est, etenim his in exemplis tempestivus tartari emetici usus non solum venaesectiones supervacaneas reddit, sed etiam exitum morbi prosperrimum inducit, praesertim si complicatio gastrica inflammationi adhaeret, quae remedio supradicto promtissime et certissime profligatur.

Haud minus efficacem tartarus emeticus se praestat in stadio secundo pneumoniae mere sthenicae praemissa venaesectione ad discutiendas stagnationes adhuc obvias, et infringendam dia-

thesin inflammatoriam. Omnibus his in cāsibus potissimum ad promovendas excretiones criticas per sudores, urinam, alvum et sputa confert.

Tartari emetici usum vetare solent ventriculus et canalis cibarius infirmus, magna vomendi alvumque deiiciendi propensio, idiosyncrasia, nec non debilitas universa.

§. 9.

Proximi effectus, tartari emetici usum plerumque excipientes sunt:

1) Ventriculus generatim hocce medicamentum, immo largiores eius portiones, facile sustinet; plurimi aegrotorum semel tantum, uti Peschierus recte monet, raro saepius, cum levamine vomunt, attamen iteratae doses non novam faciunt emesin, ipsaque nausea ab initio inimicissima paullatim penitus evanescit.

2) Ad alvum inter initia tantum tartarus emeticus agit, ita ut pluries liquidae faeces deiici soleant, postea vero solidiores reddantur, nec raro per aliquot temporis intervallum vera existat obstructio, cui dosibus tartari emetici auctis aliisque medicaminibus adiunctis subveniendum est.

3) Evidentissima tartari emetici efficacia ad cutem extat: non multo post eius ingestionem sudor copiosus universalis per intervalla saepe rediens accedit: quandoque cutis perpetuo madet.

4) Tussis levior, rariorque evadit, expectoratio facilius succedit, sputa cocta, critica apparent.

5) Eodem tempore, quo sudores proveniunt, urina multum sedimenti offerre solet.

Quibusdam in exemplis immediatus tartari emetici effectus haud observatur, nihilosecius vero breve post tempus ut reliquis in casibus eximium pectoris affectionum levamen obtinetur.

§. 10.

Quodsi antiquiorum et recentiorum observationes de egregiis tartari emetici viribus et effectibus metimur non infitias ibimus usum istius medicaminis vel solius, vel cum Nitro aut sale ammoniaco iuncti ad plerasque pectoris inflammationes compescendas sufficere, et Calomelani, nostratibus usitatissimo, plerumque posse substitui, licet Calomelani efficacia non deroganda est, si inflammatio gravior in exsudationem exire minatur, aliaque remedia non satis valentia sunt ad stagnationes inflammatorias et extravasata discutienda.

Num ante, utrum inter tartari emetici usum vena incidenda sit, pulsus dirimere oportet: errant enim, qui methodo illa sanguinis detractiones supervacaneas reddi existement, tametsi saepius, ubi inflammatio mitiorem indolem prae se fert, tartarus emeticus solus sufficiat.

§. 11.

Ut hactenus dicta certius comprobentur aliquot morborum historias subiiciam:

1) Andreas L. Scrinarius, trium et viginti annorum, robusto insignis corpore, bonaque semper usus valetudine, ex aliquo inde tempore pectoris affectiones conqueri coepit quae novissime adeo increverunt ut aeger, auxilium petiturus, Policlinium berolinense adiret.

Nonis Ianuarii, quibus recipiebatur, sequentia offerebat symptomata:

Pectus doloribus acerbis pungentibus, tussi et inspiratione altiori ingravescentibus, perstringebatur, tussis frequens ut plurimum sicca, raro sputis mucosis, quibus nunquam sanguinis aliquid inhaesit, iuncta erat. Spiritus cum labore ducebatur, motus corporis gravior maxime dyspnoeam adaugebat: somnus satis bonus accessit, aegerque sine difficultatibus ad utrumque corporis latus decumbere potuit: gastricismi symptomata modo exigua adfuerunt. Excretio alvina perinde ac lotii secretio ad normam respondebant: pulsus frequens, modice plenus inveniebatur; sub vesperem motus febriles incursabant.

Quod aetiologiam attinet, habitus aegroti plethoricus, labores immodici, refrigeria crebra et excessus in spirituosis considerandi venerunt.

Medendi indicationes flagitare videbantur ut cura antiphlogistica et antirheumatica administraretur. Ab initio per venaesectionem unciae sanguinis XII, magis prophylaxeos causa detrahebantur, siquidem aetas, corporis habitus hanc inanitionem expostulabant, licet pulsus minus eam indicaret.

His peractis tartarus emeticus iuxta Peschieri methodum in usum vocabatur: Rj. Tartari stibiati gr. VI. solve in Aquae destill. spl. unc. VI adde: Nitri depur. Aquae Laurocerasi aa drach. unam Syrupi Althaeae unc. unam M. D. S. Omni bihorio cochlear maius sumendum. — Pro potu species pectorales praescribebantur, simulque diaeta antiphlogistica, regimen tepidum et quies commendabantur.

6to. Aeger noctem quietus transegit, pulsus evehebatur, reliqua parum vel nihil mutabantur: mixturam tartari emetici non vomitus, sed nausea tantum sequebatur.

7mo. Pectoris dolores remiserunt: tussis nullam mutationem exhibuit: nec sudor, nec vomitus, parum nauseae incidit: alvus semel descendit, quapropter tartari emetici portio duobis granis augebatur

8. et 9. Eximium pectoris dolorum decrementum contigit: tussis arida perstitit; utraque nocte sudores uberiores provenerunt, alvus tarda fuit, aeger febre caruit.

10. Tussis nondum humida evasit; reliqua nihil mutationis ostenderunt: tartari emetici dosi rursus grana duo adiiciebantur.

Pectori vesicatorium super impositum est.

11. 12. Sudor perpetuus e cute scaturiebat, urina sedimento pollebat; nausea exilis, alvus etiamnum tarda reperiebatur, pectoris dolores plane disparebant, tussis levior, sputisque largis combinata apparebat.

13. 14. Valetudo in melius convertebatur: sputa cocta prodibant, pectus omnibus vacabat doloribus: tartari emetici dosis ad grana sex restringebatur: Nitri et aquae Laurocerasi usus suspendebatur.

15. Tussis cessit, respiratio expeditissima fuit, somnus et ciborum cupiditas ad normam optime respondebant.

16. Aegrotus convalescens habebatur et quum bene valeret, pro sanato dimittebatur.

---

2. Chr. R. duorum et quinquaginta annorum, corporis pusilli, firmi habitus, teneriori aetate bona viguit valetudine, adulta infantem edidit, ex annis decem inde menstruis defecta, ante quadriennium pneumoniam concepit nimia corporis contensione inductam. Quamvis morbus tum tem-

poris profligebatur, cura tamen radicalis haud contigisse videtur, siquidem asthmaticae difficultates haud mediocres resederunt, quae ad duodevicesimum usque Novembris diem, quo novus irruit morbus, protrahebantur. Quum enim aegra illis diebus summis laboribus indulsisset, et haud dubie perfrigerium passa esset, subito vertigine, aurium susurru, capitisque doloribus infestabatur, quibus non multo post ingentes horrores, maxima cum dyspnoea et pectoris intimi ictibus, deinde aestus, sudor, sitis ardens, tussis crebra dolorifica succedebant: postridie gastrosis symptomata, uti nausea et vomitus citra levamen, accesserunt.

Medicus arcessitus eodem die venam brachii incidit, verumtamen aegrotae nil plane levaminis attulit. Aegrota die Novembris vicesimo in Policlinicum recepta, insignes capitis dolores conquerebatur, ictus pectoris sat vehementes loco certo erant adstricti, spiritus brevis, acceleratus, sibilans non sine contensionibus doloribusque ducebatur: insimul tussis, exscreatio difficilis muci albo-flavidi sapor ingratus et anorexia urgebant.

Alvus a die praeterlapso inde non deiecta erat. — Solutio Nitri et Vini stibiati ex aqua fontana mulieri exhibebatur.

Postero die paullo melius valere videbatur: cutis enim aliquantum transpiravit, gastricae affectiones decreverunt, febris remisit, dolores nondum

desierunt. Tum tartarus emeticus ad Peschieri methodum, addita Nitri dep. drachm. I. ac Oxymellis squill. unc. I. propinabatur.

22. Aegra semel vomuit alvumque saepius multo cum levamine deiecit: nocturno tempore transpiratio larga evenit, tussis rarior, blandiorque sputis copiosioribus iuncta, pectoris dolores mitiores fuerunt, febris eximias obtulit remissiones.

23. 24. Mixturae usus continuabatur, nihilque nauseae proferebat, cutis multum transpiravit, febris et pectoris difficultates magis magisque decreverunt, tussis mirum in modum cessit, et alvinae excretiones parciores evaserunt.

25. Pectoris dolores prorsus evanuerunt, tussis raro invasit, sed sputis criticis combinata fuit, febris abest, cutis perpetuo madescit: hesterno vespere sedes aliquot liquidae profundebantur.

Sequentibus diebus convalescentia rapidiora cepit incrementa, aegra summatim viginti quatuor tartari emetici grana hauserat. Quum inter convalescentiam paullo exhaustam se sentiret per aliquot dies infusum Valerianae cum Extractis amaris imperabatur. Die 6to m. Decembris sanata dimittebatur, ipsae enim affectiones asthmaticae, quibus diu ante pneumoniam vexabatur, plurimum levaminis conquisiverant.

3. Fr, Schm. sartor, trium ac triginta annorum, modici roboris, plures per annos raucedine, tussi et difficili sputorum exscreatione laboravit. Nono m. Januarii incendii terrore somno excussus frigori acerbissimo sese obiecit et perfrigerium passus est, quo fiebat, ut rheumatica pulmonum inflammatio exardesceret, quae fixis pectoris doloribus, tussi valida, sicca, dolorifica, dyspnoea ingenti, febre intensa, tendore totius corporis dolorifico, siti immensa et faucium ariditate manifestabatur. Raucedo maxime increvit; gastricismi symptomata abfuerunt, alvinae excretiones normae respondebant. — Die decimo m. Januarii curandus in Policlinicum deferebatur, et cum venaesectio haud flagitari videretur, tartarus emeticus eodem modo, quo supra dictum est, praecipiebatur, cuius hoc in casu laetissimi effectus sperabantur: praeterea vesicatorium pectori super imponebatur.

Efficacia illius remedii sane egregia extitit: etenim vomitus haud quidem accessit, sed per noctem copiosus itemque saluberrimus sudor, et sub matutinum tempus sedes liquidae quatuor evenerunt. Urina largum exhibuit sedimentum, et sputa multo facilius reddebantur.

XImo Aegrotus spiritum altum sine difficultatibus traxit, pectoris ictus abfuerunt, pulsuum durities ac frequentia haud mediocriter mitigata, vocisque raucedo adeo diminuta apparuit ut aegro-

tus profiteretur se a longo inde tempore voces tam claras edere non potuisse.

Tartari emetici solutio ad decimum tertium usque Januarii diem ita continuabatur ut neque nausea neque aliae ventriculi affectiones subnascerentur. Febris prorsus cessit, tussis rarior ac levior evasit: expectoratio longe facilius successit: diebus aliquot interpositis valetudo hominis ea fuit, ut praetermissis aliis medicaminibus sanatus discederet.

---

4. Bertha W. octo annorum, tenera sensibilique constitutione instructa, die 17mo Aprilis sine caussis manifestis doloribus pungentibus sinistri pectoris, anorexia et febre corripiebatur, quibus postero die tussis dolorifica, muci tenacis excretio, spiritus difficilis, magna inquies et insomnia supervenerunt. Die demum 21mo m. Aprilis, quum ista symptomata gradum maximum essent assecuta, cum parentibus Poli-Clinicum adiit auxiliumque petiit.

Symptomata manifestissima haec fuerunt: dolor vehemens a processu ensiformi ad hypochondrium sinistrum porrigebatur, pressu augebatur et locus affectus tumorem quemdam et maiorem temperiem ostendebat: regio costarum verarum et hy-

pochondrium dextrum nil morbosi exhibebant: respiratio accelerata, brevis et anxia erat, spiritus altus dolores praegravabat; ceteroquin puella cephalalgiam, tussimque frequentem parcioribus cum sputis, quorum cruda fuit indoles, conquerebatur. Pulsus centies et vicies intra minutam micabat, durum plenumque sese exhibebat. Aestus et sitis magnum adigerant fastidium; cutis arida, lingua sicca muco flavo oblimata apparuit; alvus intra biduum non deiecta fuit. Situs tantummodo supinus aliquid levaminis intulit, lateralis vero respirationis difficultates et dolores intendit.

Quum omnia symptomata affectionem pectoris inflammatoriam testarentur, et simultanea complicatio gastrica gravissimam medendi indicationem offerret, praeter topicam sanguinis detractionem, ope hirudinum octo loco affecto admotarum, curatio interna remediis in tali casu praestantissimis, scilicet solutione Nitri et tartari emetici administrabatur. R. Nitri dep. drachm. unam c. dim. Tartari stib. gr. Vi. solve in aquae foeniculi unc. VI. adde: Syrupi Althaeae unc. I. MDS. Omni bihorio cochlear maius sumendum. — Iam sub vesperem eiusdem diei symptomata aliquatenus mitigabantur, vomituque bis exorto, quo multum bilis cum pauxillo muci evacuabatur, pectoris ictus mirifice decreverunt, respiratio minus anxia, aestus moderatior extitit.

22. Aegrotula placido somno recreabatur, matutino tempore novus accedebat vomitus, faecesque biliosae liquidae deiiciebantur: pectoris dolores nulli, febris blandior, expectoratio facilior sputa coctis proxima observabantur; ceteroquin puella nauseam continuam conquerebatur.

23. Nox placide cessit, sub horis antelucanis sudor provenit: tartarus stib. non amplius vomitum movit, per diem vero sedes biliosae tres, quibus tormina praecesserunt, profundebantur. Urina copiosum obtulit sedimentum, tussis rarior, pectoris affectiones sublatae, febris mitior apparuit.

24. Nil fere mutationis reperiebatur, febris vix manifesta erat. Nitri loco mixturae uncia dimidia Kali tartarici ac tantumdem mellaginis graminis adiungebatur.

25. Febris plane defuit, cutis modice transpiravit, tussis mitissima, excretiones alvinae normales, ciborum cupiditas intensior fuit.

26. Valetudo hesternae simillima: tartari stibiati dosis ad grana duo restringebatur; drachm. II. extracti cardui b. adiiciebantur; pro infuso theiformi Spec. pectoral. et stipites dulcamarae imperabantur.

28. Pertinacissimum quoque morbi symptoma, tussis scilicet, evanuit. Aegrotula cibos non sine cupiditate hausit, bonisque viribus gavisa est.

Remediorum amarorum blandiorum usus paûcos intra dies optimam sanitatis speciem revexit.

Multae morborum historiae huc referendae adhuc extant in:

Hufeland's Journal d. prakt. Heilkunde Octbr. 1822, S. 49.

Ibidem. März 1823. S. 42.

Ibidem. May 1824. S. 71.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Carolus Burghardt natus sum Erfordiae die XXIV mensis Decembris 1802, patre Alexandro, iam praematura morte mihi erepto. — Primis literarum rudimentis imbutus, ab anno inde decimo tertio aetatis, gymnasium quod in patria urbe Rectore reverendiss. Muth florebat per quatuor annos frequentavi, ibique ad literarum humaniorum studium sum adductus. Anno 1819 maturitatis testimonio instructus a gymnasio discessi et in Instituto chemico-pharmaceutico quod Erfordiae viget duce Ill. Trommsdorff, per annum studiis Matheseos, Chemiae, Pharmaciae, Botanices, Physices et Mineralogiae vacavi. Nihilominus huius anni spatio quoque stipendia solvi.

Quibus peractis Goettingam me contuli ubi die XX. m. Octobris 1820 Prorectore t. t. magnifico

Tychsen civium academicorum numero adscriptus sum. Per biennium hic moratus celeberrimorum professorum lectionibus interfui: ut Ill. Schultz de Logice et Anthropologia psychica, Ill. Schrader de Botanice Ill. Blumenbach de historia naturae, anatomia comparatu et Physiologia; Ill Langenbeck de Anatomia, Neurologia speciali, Ophtalmologia et Chirurgia: Ill. Himly de nosologia ac therapia, tam generali quam speciali; Ill. Osiander de arte obstetricia. In dissecandis cadaveribus duces mihi fuere Ill. Langenbeck et Cel. Hempel.

Temporis spatio dicto praeterlapso Berolinum me conferre in animo habebam, propter valetudinem adversam vero in patriam redire coactus sum. Tandem pristinae valetudini redditus, post festum paschale anni 1823 Berolinum petii, ibique die XXI mensis Maii ab Ill. de Raumer t. t. Rectore Magnifico et Ill. Link, Decano maxime spectabili, denuo in civium academicorum numerum receptus sum.

Inde ab hoc tempore disserentes audivi Ill. Rust de Chirurgia, Ill. Knape de Splanchnologia, Ill. Rudolphi de anatomia pathologica et de sensuum organorum anatomia: Ill. Hufeland de Macrobiotice et Diaetetice deque morborum acutorum therapia: ad Clinicen medicam me instituere in Policlinico Univertitatis Ill. Hufeland, et in Noso-

comio Caritatis Ill. Neumann, ad Clinicen chirurgicam et ophthalmiatricam Ill. Graefe et Rust.

Tentamine et examine rigoroso rite superatis spero, fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in utraque medicina honores mihi impertiantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Fluxus menstruus non est purgatio.

II.

Congestio est inflammatio incipiens.

III.

Haemoptysis symptoma morbi est, neutiquam morbus ipse.

IV.

Acaros exulcerantes scabiei causam proximam esse contendo.